AD QVODLIBETARIAM,

QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS QVINTA NOVEMBRIS, MAGISTRO NICOLAO ELLAIN DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An in acutis certæ ſint ſalutis aut mortis prædictiones?

MORBORVM omnium, quorum nullus eſt altero diuinior, communis eſt origo. Horum alij ſunt acuti, alij diuturni, alij medij. Acuti dicuntur, qui celeriter, continenter, & ſummâ ſymptomatum vi mouentur, ſiue ſint febres eſſentiales, quæ conſiderantur in vitio humorum, vt Cauſus: ſiue morbi cum febre in parte, cuius officio vita carere non poteſt, vt Peripneumonia: Fiunt à bile, & ſanguine, ætate vigente, æſtiuo aut verno tempore. Rari ſine febre. Per excretionem iudicantur: diebus imparibus. Ex vario motu ità diſtinguuntur, vt vel acuti vel peracuti nominentur: & vtrique vel exactè, vel non exactè. Acuti exactè quatuordecim dierum ſpacio ſuam abſoluunt hiſtoriam: Acuti non exactè viginti diebus. Exactè peracuti quatuor diebus, aut citiùs finiuntur: non exactè peracuti à quarto die in ſeptimum, aut in vndecimum excurrunt.

MORBI acuti medicum diligentem exigunt, & Glauco magis aſſiduum: in quibus minùs proficienti magis ignoſcendum, quàm in diuturnis. Ad illorum curationem tempus non eſt terendum in exhibendis Propomatis, Propotiſmis, potionibus mellitis, ſaccaratis, aut aliis eiuſmodi leuibus, inutilibus, ingratis, moleſtis, & plerúmque etiàm damnoſis: ſed in remediis cauſam morbificam oppugnantibus: vt Phlebotomiâ toties iterandâ, quoties morbus poſtulabit, & ægri vires tolerabunt: iuſculis refrigerantibus & humectantibus: victus ratione tenui & exquiſitâ, in quâ tamen habenda eſt ratio conſuetudinis: blandis clyſteribus, ſi aluus ſubſtiterit. A medicamentis purgantibus per initia omninò abſtinendum. Interdùm etiàm otiandum, & totum negocium committendum naturæ medicatrici, quæ in nullo morbo ſibi vendicare minùs, quàm ars, poteſt.

AD curationem non parùm confert prænotio: cuius, vt & prædictionis, eadem eſt ſcientia, non idem vſus. Qui ægri & morbi quodam veluti duello colluctantium, & de victoriâ contendentium vires exactè cognouerit, & ſigna ſalutaria cum funeſtis ad amuſsim contulerit, morbi euentum poterit prænoſcere, robuſtioríque victoriam iure addicere, & certò prædicere. Salutem & mortem ex Aſtris & Aſtronomicis ſchematibus nugaciſſimis, aut ex arte diuinatrice non prænuntiabit, nec ex aliis meditationibus pręſentiet, quàm ex prænoſcendi ſcientiâ medicinę propriâ, percipiendâ ex ipſius rei naturâ, & cognitione exactâ roboris concertantium. Glorioſa eſt, ſplendidáque ars prædicendi, in morbis acutis facilior, quàm in diuturnis, & arte curandi certior. Hæc enim coniecturis vt plurimùm nititur, pro locorum diuerſitate variè exercetur, imò etiam inter plurimos controuerſa eſt, & plena diſſenſionis: Illa naturæ legibus fundata, ratione, certâ diſpicientiâ, longáque experientiâ ſuffulta, non ſolùm in Gręciâ & Galliâ, ſed etiam in Scythiâ & Lybiâ, nemine reclamante, eodem modò, excolitur.

SIGNA Prognoſtica petenda ſunt ab ægro & morbo: ſub quibus cōprehenduntur ea, quæ à parte affectâ, ab excretis, & à ſimplicibus affectibus deſumuntur. Sanguis è naribus fluens, & ſudores diebus iudicatoriis erumpentes cum vrinis craſſis in febre ardente ſalutarem morbi exitum indicant. Apoplexia fortis eſt inſuperabilis. Angina, quæ nihil in faucibus, neq; in ceruicibus, aſpectabile relinquit, ægrum celerrimè de medio tollit. Pertusâ perfectâue veſicâ, cerebro, corde, ſepto trāſuerſo, tenui quodam inteſtino, vētriculo, iecore, mortale. Deiectiones nigræ, aut pingues, aut liuidæ, aut æruginoſæ, aut graue-olētes, funeſtę. Vlcus liuidum, ſiccū, aut cum virore pallidū, lęthale. Facies Hippocratica mortem in propinquo eſſe ſignificat. Quò plura ſigna mala cum virium infirmitate ſe produnt, eò pernicioſiorem morbi exitum demonſtrant: quò verò plura bona cum ægri robore apparent, eò maiorem naturæ de morbo triumphaturæ ſecuritatem denuntiant. Salutaris morbi exitus ægro prænuntiandus: funeſtus, aut dubius neque ipſi, neque exteris, ſed ſolis ægri neceſſariis prædicendus, ipſum prudenter monituris, vt pietati vacet, & rebus domeſticis conſulat.

PRÆDICTIO artificem ſuum reddit admirabilem & propè diuinum, ſi ingenio præſtanti præditus, & eruditione perfectâ excultus, longâ experientiâ, quotidianâ exercitatione, & accuratâ meditatáque commentatione firmatus eam adhibeat prudentiam, vt nunquam prænuntiet, niſi certò prænouerit euentum prædictioni reſponſurum. Præſtat tria prænotionis verba ſolemnia præfari, προσδέχεσθαι προσδοκᾷν ἐλπίζειν. Quemadmodum enim medicus certò prædicens magnam commendationem ſibi conciliat, & euentuum ſiniſtrorum inuidiam & calumniam facilè declinat; ſic à prędicendi ſcopo frequenter aberrans fidem ſibi detrahit, & de ſuâ dignitate & authoritate non parum derogat. An verò artis prognoſticæ minùs peritus cenſebitur, qui apparentibus omnibus ſignis ſalutaribus fœlicem morbi euentum prædixit febre malignâ laboranti, qui tamen intrà quinque horarum ſpatium ſoporis ſorbilis & læthei grauitate oppreſſus expirauit? aut qui ruptâ venâ, aut arteriâ, aut vomicâ præfocatus celeriter interiit? Rara, & ea, quæ nullâ ratione poſſunt præuideri, vt ęgri & aſſidentium errores, artis cancellis non circumſcribuntur.

Ergo in acutis certæ ſunt ſalutis aut mortis prædictiones.

Aſſerebat DIONYSIVS LE SOVBZ Pariſinus, anno R. S. 1615.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Pietre.
M. Ioannes Couſin.
M. Hieronymus Goulu P. R.
M. Simphorianus Hautin.
M. Henricus Blacuod.
M. Gabriel Biart.
M. Richardus Marcerz.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.